Nondum.





Admodum Reverende et Clarissime Vir,

In reditu Cl: & Rev. Viri Dni. J. Valkenier nihil optatibilius mihi obtigit, quàm quod fausta omnia de statu vestro & constanti Valitudine nunciârit; Quam prosperam, porrò & aequabilem, secundo vitae sine ullâ offensione cursu, animitus comprecor. Et iam diu de eâ certior fieri desideraveram. Ita solicite mens satagit, quid de Amicis fiat, quasi nostrâ intersit bene esse, quibus cupimus.

Φίλαν, ὑπ' ἐυπραγοῦντων ἔβαινεν
ταυλίξα ἀγγελίαν
καὶ γλυκεῖαν ἐσθλά

Silui hactenus, non neglectu officij, aut vestri immemor, sed argumenti digni inopiâ, & seriem rerum vestrarum timere turbare veritus. Vixit tamen jucunda vestri recordatio & grata vicissim propensi in me animi affectus, quibus abunde testatus fueras, memoria. Et miratus sum stationem Medicam in Academia vestra tam diu vacuam; fatone an sorte temporum, alio praematurè è vivis sublato, alio bono rifcum illud munus detrectante, Cui tamen brevi prospectum iri à publico Illustrium Dominorū Curatorum conventu, accepimus: Rumore percrebuit in numero expectantium Fabri Expertissimum Dn Dm Bernhardum Swalve ordinarium apud Harlingenses Medicum; cuius, cum saepe casibus gravioribus saepe unà cum ipso in consilium vocatus fuerim,

propius nosse mihi datum est. Vir est eximiâ erudi
& commendabili in Arte peritiâ; Eundem, cum de
gratione deliberarem, Proceribus nostris commendari m
qui decedenti mihi surrogaretur. Verùm cum vitæ n
rationes tam publicè quam privatim intercederent
voto quidem suo, tum temporis, excidit; altiora tam
ambiendi animum non abjecit sedulò studiis incum
unde spem amplioris in functione publicâ fructus
caperet. Opto Vobis dignissimum
quo animos et consilia Illust: D.D. Curatorum
DEUS O. M. dirigat, Qui & Te, Admodu
Reverende Vir, publico & familiæ diu Superst
& salvum velit, quo voto finio

Exc. Tuæ
Observantissimus
Joachim Frencelius m

d. Franequeræ
IX Kal. Xbris
CIƆ.IƆC.LXVII.

Admodum Reverendo et
Clarisso Dno
Dno Johanni Coccejo
S.S. Theologiae Doctori Excellentisso
Ejusdemque Facultatis in Augusta
Lugduno-Batava Academiâ
Professori Celeberrimo

d. Franequerae
IX Kal Xbris
CIƆ.IƆC.LXVII.